


26c. 70.







10
D. CHRIST. AVG. CRVSI
COMMENTATIO
DE
DOGMATVM CHRISTIANORVM
HISTORIA CVM PROBATIONE

DOGMATVM NON CONFVNDENDA.

PROPOSITA

IN PANEGYRI DOCTORALI

IOH. FRID. REHKOPFII,

S.S. THEOL. P. P. O. ET SVPERINT. GEN. IN ACAD.

HELMSTADIENSI,

IN ACAD. LIPSIENS.

D. VI. ET VII. IVNII MDCCCLXX.



Tanto magis laudandum est et magni habendum, praesertim in Theologia Christiana, recte institutum historiae et literaturae studium, quanto est rarius, nec sua natura esse potest nisi paucorum doctorumque hominum. Nam neque omnium illud esse, per se patet, neque necesse esse, ut admodum multorum sit, late illud patens et totam ferme vitam occupans, itidem perspicue et facile intelligitur. Quod si enim ad illud vel multi vel plerique se conferrent, tanquam ad studium, in quo aetatem agere velint, annon doctrinae ipsae, rerumque maximarum utilissimarumque cognitio et applicatio negligenterentur? annon sedulitas docendi de aetate in aetatem succrescentes hominum progenies, in quo profecto maximus doctrinae doctorum omnium proventus est, non negligenterentur solummodo, verum etiam in contemptum adduceretur? quemadmodum quorundam voces non raro audimus, qui maximam et utilissimam literarum hominum multitudinem propterea ferme contemptui habent, quod in praxi versantur, quae theoriae scopus est, non in eo literarum genere elaborant, quod paucorum est, vel quod minutias aut subtilitates tractat, utiles illas et magni habendas suo loco, sed quas satis est a quibusdam, usque non adeo multis, excoli. Pauci, qui ad talia se conferunt, multorum laborant commodo, dummodo bene, pie, modeste, sedulo laborent, atque inter illos ipsos alius obseruat alium, ne quisquam temere pronuntiare facile audeat, vel certe ne temere dicta fidem reperiant late et constanter. Quam ob causam Apostolus Christianos cum membris humani corporis comparat, quippe vnus mystici corporis Filii Dei membra. Sed membrorum omnium sua cuiusque est utilitas, veruntamen non eadem omnium functio, quorundam maior aliorum minor necessitas, mutua omnium compages, fructus communis

nis, dolor et noxa communis. Quin etiam ne reuerentia quidem illis, qui ignobilissima habentur, minor debetur propterea, quod non ostentantur, non regunt corpus. Nam par honoratorum et minus honoratorum membrorum in corpore necessitas esse potest, seruitia vero mutua sibi omnes corporis partes praestant, quamdiu recte valere debeat corpus, 1 Cor. XII, 12 sq. Atque diuina ista de mystico Christi corpore instructio, si recte teneretur, quam multo melius valeret et valuisset Ecclesia, quam olim valuit et nunc valet!

Est ea natura et indoles omnis scientiae humanae, vt, quoniam arctis in hac vita limitibus circumscripti sumus, extendamus quidem studium nostrum et dilatemus ad permulta, sed, quando sobrie agimus, non tamen nimis multa simul suscipiamus, sed in suo quisque genere certum quasi orbem scientiarum, *ἐγκυκλοπαιδείαν*, complectamur, in quo stadio, quando bene decurrimus et exercitati diu sumus, vnā alteramque partem singulariter nostram facimus, in qua toti vel praecipue versemur. Atque diuersa sunt in hoc genere ingenia, vt aliud in alio, plerique homines in aliquo, pauci in permultis aequē bene versentur, sed hoc ipso opportune contingat, vt mutuis et reciprocis officiis seruitia socialia praestare queant omnes omnibus, quemadmodum idem fit in vniuersa vita sociali, atque in eo laborum genere, qui manuarum opera exercentur, in omnium oculos incurrit.

In eligendo autem, quod quisque tractet, studio suum quisque ingenium sequitur, scilicet vt eam excolat facultatem, qua maxime valeat, ideoque illa libenter et cum voluptate vtritur. Successus magnam partem a fortuna, quam vocant, pendet, quibus vtritur subsidiis, cui muneri gerendo adhibeatur, quantum temporis a stans laboribus vacantis ad legendos libros impendere possit, insuper etiam quantopere, quod variis casibus fieri solet, multorum in illum oculi et attentio dirigantur.

tur. Ex quo conequitur, vt, qui historiae et literaturae laude maxime excellunt, non propterea plus videant semper, vel sentiant rectius, nonnunquam etiam obtusiores sint, et in tuendis ineptis sententiis pertinaciores. Nam tales viri memoria excellere solent, cuius ope mirabiliter multa prae reliquis in promptu habent, conscribunt, allegant, eaque re non paucis ingenii et *δυσχίνοια*, vt placeant scriptionis genere et sententiis. Sunt vtique ista bona naturae eximia, veruntamen ad veritatem cognoscendam nondum praecipua, quia sine acumine iudicii esse possunt, vt nunc omittam, quod, pariter ac reliqua intellectus bona, sine voluntatis emendatae et ad Deum conuersae bonitate esse queunt. Attamen vsus facultatum intelligendi a voluntate dirigitur, vtque bene vel male fiat, ab animi indole et constitutione potissimum pendet. Quin immo bona illa intellectus, quae sine iudicii excellentia et maturitate eminere possunt, nonnullos adsuefaciunt, vt ne praecise quidem et accurate dicta libenter cogitent, sed vbiuis circumspeciant res memoriae et sensuum, et in talibus *eruditionem* proprie et stricte dictam ponant. Vnde paradoxa vox subinde auditur, vt libro, in quo veritatis nihil vel perparum inesse fateantur, laus tamen ea tribuatur, quod magna, quod summa *eruditione* refertus sit. Quare vniuersi literatores *πολυμαθεῖς*, et multarum linguarum periti, plerumque potius a memoria et sedulitate commendabiles sunt, quam ab *ἀκριβεία* in cogitando et disserendo, resque, quae has postremo dictas facultates poscunt, eatenus solummodo bene animo complectuntur et proponunt, quatenus satis modesti sunt, vt aliena opera proficere possint, vtque ab aliis discere queant, et aliorum bonis pariter, quemadmodum ipsorum bonis alii, diligenter vtantur. Secus sumum vendent, turgidi erunt, cruda et immatura in publicum propellent, nisi etiam mala interdum fide agant, vt tueantur, quae ipsis ad palatum sunt. Qua-

Quapropter viros probos, et facultate bene iudicandi praeditos, tanto magis suspicimus, sin otio suo, a statis laboribus vacuo, ita bene vtantur, et per muneris temporisque sui rationes ita vti possint, vt sint multae lectionis, eaque benetractent argumenta, et in ea eruditionis parte vtiliter elaborent, vbi lectio permulta et multorum annorum sedulitas praerequiritur. Caeterum, quamuis diuersa, omnis generis studia diuersorum mutuam sibi operam praestant, quamquam non omnia pariter placent. Incrementum enim cognitionis sensibile est, quando linguas vel historiam excolimus, vt singulis ferme diebus augmenti nobis conscii simus, quod multo secus fit in scientiis, quae res tractant, non verba, quae vniuersales propositiones tractant, non res indiuiduales. In rebus memoriae et ingenii multa etiam obuiam sunt, quae per solam curiositatem, vel sensu pulchri, placent. Fit ergo, vt qui in talibus excellent, communius clarescant et probentur, maxime si res tractatae ad religionem et mentis mutationem nihil attineant; quippe sic res tractant, quibus omnis generis homines facile faueant.

Praefari haec, etsi satis nota, non intempestiuum duximus, quoniam in praesenti scriptionis genere studiosae inuentus quoque ratio habenda est. Nam sine his recte perspectis non intelligeretur thema speciale, quod protheoriam illam praesupponit, et de quo breuiter praecipiemus, videlicet *de doctrina dogmatum historia cum probatione dogmatum theologiae Christianae non confundenda.*

Dici non potest, quantum in omni Theologia sit momentum historiae omnis et literaturae variae, et quantum vtrique pretium statuendum sit. Est in magnis beneficiis ponendum, quae prouidentia diuina Ecclesiae procurauit, quod ista doctrinae vbertate hodie abundamus, dummodo bene vti velimus; et boni Christiani sereno fronte, et subridentes nunquam, intuentur, quomodo in hoc doctrinarum genere

frequenter vtilitatem capiat res Christiana, quando indagatores et scriptores istarum rerum longe alio agunt consilio, saepeque inimico. Defectus historiae notitiaeque et rectae intelligentiae librorum omnis generis, maxime veterum, sed et omnium aetatum, vehementissime nocuit, et etiamnum nocet doctrinae Christianae. Efficit enim, vt errores, quomocunque orti, et per ignauiam, vel lucri et dominandi causa, iactati et obtrusi, fidem indubitatam reperiant. Plena exemplorum huius generis est tota historia ecclesiastica, praesertim sub Papatu. Aliud est malum, quod idem defectus inflat doctores subtilis, fastu elatos, confidentia sui ingenii securos et turgidos, vt, quidquid defendere sustineant, siue ipsimet in illud inciderint, siue aliunde assumerint, id propter subtiliter excogitatas ratiunculas statuunt, quamdiu non cognitum sit, multo plures eius farinae homines alio tempore similiter errasse, et cum erroribus euanuisse. Exemplo esse possunt doctores Scholastici medii aevi, sed et multo plures, nostrae etiam aetatis, inprimis fanatici et nouorum systematum improvidi conditores.

Quapropter, vt hoc vtar, pro ea, qua nunc Ecclesia est, conditione laus insignis debetur literis graeco-latinis; sed et animaduertendum est, quomodo debeat. Restitutis enim his literis libri veteres legi poterant, et intellectum est, quam nullo fundamento corruptelae in Ecclesiam inuectae, superstitiones, ambitiosa hierarchia, res monastica, peruersitas docendi de omnibus religionis partibus, temeritas inuolandi in Principum iura, furor persequendi haereticos, et quae sunt eius generis, nitantur. Nam antiquitate et traditione commenta ista defendebantur; et acutorum hominum ingenio ornabantur, qui propter necessitatem disputandi cum Saracenis, ex translato in suam linguam Aristotele subtiliter tunc philosophantibus, et ipsi cogebantur ex noua tantum sapientiae patriarchae translatione in latinam linguam philosophari; eoque modo artis et disciplinae formam speciosam na-

cta

Ita erant. Prudentibus autem propterea in mentem non ve-
 niat, ac si reformatio Ecclesiae, cui via per has restitutas literas
 praestructa est, per easdem contingere potuisset. Agnoscunt
 enim, in ministris reformationis ista subsidia praerequisita fuis-
 se, uti os et pulmones in loquente, non quod effecerint, ut re-
 cte diceretur, aut ageretur, sed quod recte dicta non proponi
 potuissent, nisi ab eo, qui recte dicere posset, et ad recte dicen-
 dum subsidiis instructus esset, recteque agens ad hoc, ut men-
 tem haberet bene constitutam, peruenisset bene utendo bonis
 sui temporis. Aliter etiam historia ipsa et experientia reclama-
 ret. Nam nec omnes, nec plurimi, qui istis literis claruerunt et
 clarent, boni Christiani facti sunt, vel fiunt. Non pauci laudan-
 dis gentilibus se ipsos prodiderunt, quam illaudabilem habeant
 mentem. Et ipsa illa natio, quae maiorum suorum, vel certe
 terrae ab ipsis habitatae veterum possessorum, antiquitates
 omnes, linguam, idola, supellectilem, siue gustu genis, siue
 lacri causa, tam sollicitè seruat, iisque rebus placet peregrinan-
 tibus et imponit, an veritatis dilectione prae reliquis eminet?
 an etiam par est? an intra tam longum tempus veritati cessit?
 Quamobrem etiam, quando vulgo ab istarum literarum
 laudatoribus, *barbaries* allegatur, quae metuenda sit, cadenti-
 bus illis literis, animaduertendum est, quo sensu *barbaries* dica-
 tur, grammatico scholarum, an alio? nam boni Christiani num-
 quam barbari sunt ethice; deinde an verisimile sit periculum,
 ut Ecclesia recidat in istam corruptionem, in qua erat ante re-
 formationem, quaeque ab ignoratione literarum graeco-latina-
 rum ex parte ducebatur. Enimvero posterius hoc quomodo
 quisquam probabiliter opinari queat, qui historiam et conditio-
 nem temporis nostri perspectam habeat, non video. Ecquid
 enim deleret vel opprimeret istas literas, quae erectis ingeniis
 sua iam pulchritudine et dulcedine ita placent, ut nullo modo
 credibile sit, postquam opprimens literas violentia hierarchica
 desit,

desit, defore vnquam, quibus ad palatum sint, etiamsi iis opus non haberent, nedum quum homines vere docti illis nunc carere non possint? Longe alia sunt mala, quae rem Christianam perturbant iam, et vastant passim, et multo alia pericula, quae nunc illi imminet. Atque inter illa cordatus nemo inficias iuerit, ipsum *historiae et literaturae abusum* numerari oportere.

Nimirum nocet ille *primum*, quando ab illa probatio et firmitas dogmatum Christianorum pendere putatur. Nam illa peti debet, et bene cognosci potest ab vnoquoque, etiam a literarum experte, ex ipsa Scriptura Sacra. Miserum est, quod multi nostra aetate profanitatem aperte prae se ferunt; sed miserius est, et ad fallendum periculosius, quod inter illos, qui eousque procedere non audent, multi religionem et fidem Christianam superstructam volunt *eruditioni*. Quo nomine rursus vel subtilitatem in differendo et licentiam philosophandi intelligunt, quod iam lubricum est, et ad abusum frequentius trahitur, quam ad vltum verum aut tolerabilem, vel historiam et literaturam vnice isto nomine appellant et significant. Quando postremum hoc ita fit; damnum non minus dari solet, saepe etiam maius, propterea quod in hoc scientiae genere multo pauciores facultate iudicandi praediti sunt, quum e contrario, quando super vniuersalibus disputatur, acumen intellectus, et conscientiae sensus atque dictamen, iamiam tutos ab impostoribus praestet illos, qui probi sunt. Nam honestum et turpe, iustum et iniustum, quodque dignum Deo et de praestantissima Summi Numinis natura consiliisque probabile sit, vel incredibile in se, magnam partem sensu percipitur interno, maxime si aliqua exercitatione excultus sit. Valet autem is praecipue ideo, quia frequenter in vnoquoque homine excitatur auxilio gratiae diuinae et iuuatur, quando non per animi leuitatem distractionemue, aut per malitiam, reluctamur. At enim vero quando de nominibus, vocabulis, factis quaeritur, quomodo sine diuturna literarum cultura

cultura multorumque subsidiorum vsu, quid verum sit in talibus rebus, iudicare quisquam valeat? Quid ergo? praesumptiones auctoritatis solas sequetur, vel, vt rectius dicam, auctoritatis praesudicia, in quibus praetextum quilibet reperit promte, quo videatur bona fide agere, quo Deus ipse, vt vulgo multi opinantur, necesse habeat contentus esse, nec improbare queat versantem, si contingat, in conscientia erronea, etsi homo reuera suum corruptum ingenium suamque aduersus Deum obstinationem et prauitatem sectatur.

Sed et alius commemorandus est abusus historiae et literaturae, quantum attinet ad religionem reuelatam, praeter illum, cuius mentionem feci, quem in eo inesse dicebam, quando existimatur, exploratam doctrinae veritatem fideique firmitatem omnem, et consequenter omnis virtutis vim, per illam humanae eruditionis copiam acquiri oportere. Videlicet alius, nec infrequens nunc, istius apparatus literarii abusus in eo positus est, *quod ipsum studium istarum rerum subinde nimis imperfecte tractatur, nisi etiam dolose, ita vt sint, qui per illud confulto decipiant imperitos, vel propter suam ipsorum animi obdurationem et elationem ne bonum quidem rerum delectum facere queant, attamen per avdāciav sua cogitata vel collectanea publice obtrudant.* Exempla eius generis sunt, quando inter monumenta antiquitatis, nempe inter scripta, vel alius generis monumenta, deligitur, quod cuiquam placeat, reliqua tegantur silentio, vel inique tractentur, contemptui immerito exponantur, perperam allegentur, prava interpretatione pervertantur, vt veteres statuisse vel fecisse videantur, quod maxime velit is, cuius nunc interest tali auctoritate vti, eaque domesticas opiniones palliare et munire. Item quando inter auctores, quorum memoria ad nos peruenit, nec non inter libros, qui ex innumerabili multitudine, qui variis causis et casibus aetatem non tulerunt, tamquam e naufragio, supersunt, praeferruntur

tur aliqui, vel deprimuntur plus, quam fieri potest, quando non pro lubitu, sed secundum exploratas rationes, legitime et caute iudicamus. Sunt enim ex vetustis scriptoribus aliqui in honore admodum inani, veluti propter elegantiam dictionis, quum non de scribendi genere sed de aliis rebus quaeritur, vel propter raritatem librorum, quodque magno pretio veneunt, et in paucorum manibus sunt, qui magnificandis illis ipsi nunc maiores videntur et celebriores sunt. Nolo pluribus ut exemplis, quorum finem non facile repererim. Atque ingeniosi sunt homines in commendandis, quae cui libet arrideant. Si quis male scripserit, laudatur causa et res laudantur, si constitutum sit tamen laudare; sin taxare decretum sit, argumento est mala scriptio, nil bonae frugis a tali expectari potuisse. Similiter contraria omnia substitue, si quaeras, quid fiat nonnunquam, si quis bene scripserit. Pro causa odiosa non facile satis bene quisquam scripserit censori iniquo, nec pro optata satis male. Sic historia dogmatum, et vniuersi generis certorum studiorum, a quibusdam conficitur e paucis monumentis, vel e delectis pro lubitu, quasi hi auctores fuissent genus humanum sui temporis, vel repraesentantes Ecclesiam suae aetatis, scilicet eodem iure, quo nunc numerum clarorum virorum, qui maxime claruerint per eas artes, quae nunc valent, futura aetas spectaret, ut seculum nostrum. Sunt quaedam studia communiter probata, vel quia placent communius, vel quia vitae communis vsus illis carere non potest, vel quia spem lucri et honoris habent coniunctam, vel quia minus tangunt animum et voluntatem hominum, attamen in suo genere argumentorum vtuntur euidentia, vel suauitatem habent. Qui de talibus bene meruerint, in ore omnium et in celebritate facile versabuntur, siue quod laudantes ipsi excolant illa studia iisque delectentur, siue quod videri velint intelligere, et de istis iudicare posse. Quare mirum non est, probari communius, qui materias tra-

ctet,

ctet, quas profani et pii, variique generis et variarum sectarum homines, vel adhibeant, vel ne carere quidem iis possint, quod secus fit, quando agitur de re, quae placere et cara esse nequeat, nisi vel piae menti, vel certi generis hominibus vniuersae. Veluti sic virtutem vel commendant omnes, vel colere et magnum facere videri volunt, quam ob causam quiddam per elegantiam venustatemque, per se placentem, ad virtutis culturam refertur, vel referri videtur, laudatores frequentius reperit, eos etiam, qui verbo laudent, non imitentur facto. Ratum tamen firmumque manet, quod Paulus dixit, persecutiones omnibus tolerandas esse, qui eam, quae in Iesu Christo est, ideoque solum veram et integram virtutem, propositam habeant et sequantur, 2 Tim. III, 12. Ecquis est, cui, quando de partium eruditionis pariter atque hominum claritate cogitet, animaduertatque, quid intersit inter magis vel minus honoratos, vel odio habitos, non saepe in mentem veniat, quod nota occasione Christus ad consanguineos dixit: Mundus non vos odio habere potest, sed me odit, quia testor de eius operibus, quod mala sint, Io. VII, 7. Accedit, quod rerum vicissitudine, et perpetua temporum mutatione cessent et existant causae, cur libri et homines magis vel minus probentur, aut attentionem hominum, in quibus ipsis auctoritas sit, in se conuertant. Quem non Principis gratia subito magnum et celebrem fecerit? quem non casus multiplex? fortuna, secunda plerumque, sed et nonnunquam aduersa? superstitio, animositas, perinde ac vera virtus et constantia? Sed quorsum plura huius generis commemorem in re aperta, neque a quoquam in dubium vocanda? Allegabam autem, quae citavi, vt legentibus per exempla aliqua statim in memoriam recurreret, quam varias, quamque lubricas causas habeat fama et celebritas auctoritasque librorum pariter atque hominum doctorum. *Religioni igitur christianae quid fiat, si fides fidelium ab hominum talium auctoritate sus-*

pendatur, ut certus nemo sit ex sacris literis de doctrina, quam credit, nisi propter clarorum virorum auctoritatem et iudicium, et in republica Christiana ne suffragia quidem ferenda sint super veritate vel momento dogmatis christiani, nisi ab his, qui literaturae copia historiam dogmatis, tamquam eodem sensu semper crediti, pro argumento adferre possint, cur talis sententia recte teneatur, at e contrario homines, qui literati et multae lectionis putantur, ius habeant exterminandi, vel traducendi ut inutile, commentitium, superstitiosum, quod reperitur quidem inesse in sacris literis, quando probo animo leguntur, sed quod antiquitatis tali fundamento carere dicitur a claris illis et clamantibus arbitris, qui suam eruditionem in locum argumentorum biblicorum surrogare fatagunt?

Quae quum ita sint, ut media et recta via incedamus, nihil concedentes ex altera parte hominibus fanaticis, vel gemitu potius et clamore pugnantibus, quam rationum evidentiis, sed non magis ex altera parte ventosis literaturae iactatoribus, qui rebus alienis sua domestica tegunt consilia, et, quoad Deum permiserit, bullarum instar inflantur aura populari vel aulica, donec diffiliant, et pro sua mala fide et obstinatione tegenda id agunt, ut historia dogmatum christianorum, qualis ab illis condi solet, substituatur in locum argumentorum, quae petuntur ex Sacra Scriptura et peti debent, ut et reliquis aduersariis, quando philosophi videri volunt, subtiliterque, ingeniose, belle disputant, notabimus tres propositiones principales, quibus bene intelligi possit tota illa quaestio, etsi videatur difficiles habere explicatus, nimirum quaestio ista, annon, ut certa sint dogmata christiana, ante omnia historia dogmatis vtramque faciat paginam, sed quae per amplissimam historiae et literaturae copiam expediri debeat. Haec, inquam, quaestio mihi videtur per tres propositiones in clara luce ita collocari posse, ut intelligi queat ab omnibus, qui bonam mentem attulerint, aut susceperint.

Nihil

Nihil enim moueor istiusmodi excusationibus, quando defensores malae causae tamen prae se ferunt, quod libenter patiantur, coram plebe receptas sententias christianas eo modo proponi, ut pro confirmandis illis etiam dicta biblica adducantur et allegentur, quo contentos esse oporteat hos homines, quamquam non sit eorum, ἀριβειων doctrinae diiudicare, cuius de veritate suffragia ferre non sit, nisi hominum amplissimae eruditionis, literaturae et historiae multae, philologiae, maxime recentioris, et quid non? Neque etiam vlli probo fatis esset, sin auctores illi forsitan pro se ipsis allegarent virum clarum, veluti, ut hoc exemplo utar, Origenem, quippe qui alia ad plebem, alia inter doctos oratione et disciplina usus sit, nempe quia ineptum errorem, de multiplici Scripturae S. sensu vel vere tenebat, vel hoc praetextu utebatur ad tegendas hypotheses proprias. Non reprehendam nunc virum, qui, etsi mirabile caput illum fuisse, notis documentis constat, placet autem quibusdam, ut celebris auctor mixturae gentilissimi defaecati cum Christianismo, videtur vir tam pius, sincerus et vanarum rerum contemtor integer fuisse, ut, quamquam dolere fas est imbecillitate eius in certis doctrinae partibus, vir ipse permagni faciendus sit, quippe cuius sedulitas constantissima nunc quoque admodum vilis est, et porro profutura videtur. Sed illos talium patronorum clientes rogo, quid sibi velint? Putantne bonas bestias esse Christianos, quibus veritas Christiana destinata non sit? quos oporteat ouium instar pastorum voces sequi, bonorum, malorum, quia Deus non dederit Ecclesiae principium cognoscendi, quo uti omnes recte et sufficienter possint, eoque utendo proficere, et suis oculis videre, dummodo velint, probique sint, seduli et constantes? Iterum quaero, putantne tales esse oportere veros Christianos? veros, inquam, non superficialios, speciosos, electicos, nominales, quales procul dubio non magis sunt pars maior plebis, quam pars maior literatorum, opulentorum, do-

minantium? Christus Spiritum S. piisne Christianis promisit, an literatis? conditiones acquirendi eius auxilia num in literaturae et elegantiae subtilitatisque copia posuit? an in obedientiae et studii sinceritate, et sigillatim in precationibus et mentis vera humilitate? Sane ipsi spem suam in Iesu, Domino, et solo Dei Filio, collocant; quomodo, quando institutionem Teus presse sequimur, aliquid fanatici statueremus? quomodo, qui rem hactenus non ita expenderunt, non sua errent culpa?

Est igitur propositio prima: *Scriptura Sacra sibi ipsi sufficit ad perspicientiam et firmitatem dogmatum suorum*, hoc est, libri sacri ita a Deo dati, atque etiam per providentiam diuinam custoditi et conseruati sunt, vt lectori vel auditori probo, qui excitatam conscientiam habeat, eamque vel adferat ad cognoscendum, vel inter studium cognoscendi nanciscatur, sufficiat in vnaquaque doctrinae parte scitu necessaria, quum ad certo intelligendum, quid doceat, tum ad firmiter et argumētis nunquam refutandis certo animaduertendum, quod hi libri contineant verum Dei verbum, eoque modo orti et conscripti sint, quemadmodum de se ipsis illi testantur.

Ne quis cauilletur, plura sic communi hominum intelligentiae tribui, quam concedi queat propterea, quod ad iudicandum de librorum sinceritate praerequiratur studium criticum, ad interpretandum autem opus sit linguis, philologia, historia, et permultis aliis, rogo oroque, vt per exempla, vel vulgo dictas instantias, rem concipiat. Annon de innumerabilibus libris humanis, siue veteribus illis, siue recentioribus, nec de archetypis modo, scilicet de fontibus scriptisque originalibus, verum etiam de versionibus, quin immo de excerptis et epitomis ex iis collectis et contractis, libenter concedimus, eos sibi ipsis bene sufficere posse ad perspiciendum, tum an fidem mereantur, tum quid tradant, quales sententias, quales res gestas? Attamen acquiritur ista intelligentia certis conditionibus,

bus, quae partim obiectivae sunt, partim subiectivae, et in subiecti agentis conditione positae. Cur non idem valeat de libris sacris? Concedamus paulisper, et originem librorum diuinam, et illorum doctrinam cognosci et vindicari non posse, nisi ab exquisitis et copiose eruditis. Urgeo, sunt tamen libri illi diuini, et, quemadmodum libri hi ipsi testantur, nec claritatem huius testimonii, quantum scimus, vllus criticus, bonus vel malus, negauit vnquam, dati sunt diuinitus pro hominum instructione. Ergone, conuenienter suo scopo datos non esse, existimabimus? quod a sapientia ita alienum est, vt ne a cordato homine tale quiddam expectes. Atque ipsi obtrectatores veritatis, qui claram Scripturae doctrinam commentis suis obscurare satagunt, vt proprias stabiliant opiniones, sed doctiores simul prae reliquis doctoribus habeantur, ipsi, inquam, obtrectatores illi, annon cum sui cerebri partu inique agi censèrent, si quis mentem ipsorum ex libro, quem publicant, neget intelligi posse, quamdiu non aliena et illimitata, et qualibet aetate vanitatis literariae variabilia adiumenta adfiscantur?

Rem ipsam, quomodo fieri possit, vt certa dogmatum cognitio ab vnoquoque vero Christiano e Scriptura S. per se, et firmiter euidenterque peti possit, non opus est hoc loco exponi, et a me quidem praeter necessitatem repeti. Nam rationem eius anno superiori reddidi data occasione *).

Vnicum solummodo habeo, quod nunc quoque non possum non monere. Videlicet in explicando ordine et modo, quo ad veram fidem christianam perueniunt, et in ea permanent, quotquot perueniunt, et quotquot sunt *εὐθετοῦ ἐἰς τὴν βασιλειαν τοῦ θεοῦ*, non omissendam esse operantem gratiam Spiritus Sancti, quae, dum agit, actu praesenti cum suo verbo, et pro libitu

*) In *commentatione*, quae praefationis vice fungitur ad editionem germanicam *Novi Testamenti*, glossis instructi perconmiotis a Pl. Reuer. Dan. Christ. Gottl. Michaelis, Lipsiae apud Saalbachium, 1769.

agit, 1 Cor. XII, ii. efficit illuminationem et renouationem, non quidem nouam dando reuelationem, qua ne opus quidem est, sed inhabilitati subiecti succurrendo medendoque, et sic per suum verbum cum effectu docet salubri, et animos habiles ad salutem aeternam perducit. Non enim reticendum est, apud aliquos, qui magni videri volunt, Pelagianismum dominari eiusmodi, quo, puto, horruisset ipse Pelagius, qui neutiquam eousque processit in errore. Nam philosophemata inualuerunt, secundum quae Deus in mundo operosus eo modo non est, quemadmodum ipse Filius Dei operosus illum, et cum illo se quoque, descripsit Io. V, 17. sed spectator est optimae machinae, quam semel condidit, et forte conseruat eatenus, ne in nihilum occidat, sed cuius omnis mutationum ratio, omne agens et impetum faciens, in ipsa partium machinae vniuersi natura et compage inest. Quam ob causam etiam de religione nihil concedunt in verbo Dei, nisi vim Deo tribuendam eo sensu, quo ad Deum pertinet vis, per quam sol illuminat terram, hoc solo discrimine, vt, quoniam agitur de effectu moraliter producendo, vis obiectiua, quae sola verbo Dei relinquatur, et in eo vere inest, sit vis illa diuina, qua conuertamur et renouemur, attamen vis mere moralis, qua Deus instruat homines per contenta in textu sacro, attamen satis intellecta, et moueat animos per rerum propositarum indolem. Instruet ergo Spiritus S. dummodo ab initio auctor librorum biblicorum sit, quod itidem oppugnari et perperam explicari coepit, per haec scripta a se inspirata, vel suo ductu confecta, simili dantaxat modo, quemadmodum absens vel defunctus auctor per suos libros pariter legentes instruere potest. Cauendum enim esse censent, ne miracula multiplicentur, quod intolerabile foret tantis doctoribus, qui non facile perpendere solent, μήτε ἂ λέγῃσι, μήτε περί τίνων διαβεβαίονται. Nihilominus, quando in consueta aetate nostrae dubitandi et negandi proteruia auctoritas sacrarum literarum contra obiectio-

obiectiones, quae fiunt specie eruditionis, vindicari debet, negari non potest, opus vtiq̄ esse apparatu erudito. Inde fit, vt, qui ad eruditionem intenti sunt, communia omnibus Christianis argumenta, et communem viam, qua perueniri ad fidem ipsa Scriptura adserit, et experientia quotidie docet, nonnunquam vix animaduertant, sed aliter vniuersam rem explicant, callide tamen, vt receptas formulas retineant.

Secunda propositio est: *Ecclesiae in genere permultum interest, cognitum habere testimonium temporum*, hoc est, etsi, quid recte statui debeat secundum Scripturam Sacram, ideoque quid pars sit verae religionis reuelatae, cuius vnica norma est Scriptura Sacra, bene et certo cognosci potest ex eadem, quinimmo ex illa sola proprie cognoscitur tuto et sufficienter; et porro etsi mens credentis et pie obtemperantis Scripturae ex ipsis libris sacris certa esse possit et debeat, quod hi libri verum Dei verbum contineant: nihilo fecius Ecclesiae perinde non est, vtrum sola legatur Scriptura Sacra, an insuper historia ecclesiastica extet et nota sit, et ex scriptoribus vniuscuiusque aetatis, tamquam ex speciminibus, aut per illorum narrationes, certo cognitum sit, quales fuerint homines vnaquaque aetate, quid senserint communiter, vel aliqui prae caeteris, quid certum habuerint, quid in dubitationem adductum sit, de quonam consenserint, super quibus disceptauerint, quibusque de causis et quibus rationibus et quomodo id factum sit, et sic porro. Haec, inquam, vt recte cognita sint, permultum interest Ecclesiae vniuersae consideratae, quippe quae, prouti haec eruditionis pars vel colitur, vel deest, multum aut vtilitatis capiet aut detrimenti.

Dogmata igitur Christiana ex sacris literis vnicuique intelligibilia sunt, qui ad discendum subsidia et bonam mentem adferat, scilicet, qui linguae, in qua textus propositus legitur, gnarus est, et animum habet docilem, pium, modestum, qui serio velit a Deo instrui, Deoque morem gerere. Quisque pro se vim veritatis in verbo diuino facile sentit, et vsu et experientia proficit, vt

αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάρκειν καλῆ τε καὶ κακῆ
nanciscatur. Neque etiam vera et integra fides Christiana aliter in
animo potest existere, nisi tali animi conformatione, ut conscientia
per gratiam Spiritus S. praeventem excitata reddatur docilis, et
aures praebet instructioni per verbum diuinum, per quod et
cum quo Spiritus S. operatur. Vbi saluberrima illa mentis con-
stitutio prorsus abest, vel ad maturitatem nunquam peruenit,
ibi dubitatio existit infinita, delectus inter doctrinas, dogmatum
depravatio et peruersio talis, qua fit, ut mutilatae sic et deprava-
tatae ne quidem defendi possint, fallaciae in disputando, temeritas
in iudicando et agendo. Et frustra speraueris, tales homi-
nes summa probationis ἀριβεία in ordinem redigi posse. Sed
est aliud etiam spectandum. Vtpote Ecclesiae totius interest, ut,
quemadmodum doctores esse debent, et omnes homines disce-
re possunt, sed non item omnes docere, sic quoque aduersariis
et dubitationibus omnis generis occurrere possit ab idoneis hominibus.
Ad hoc autem imprimis valere testimonium, quod dixi, tempo-
rum, quod scripta cuiuscunque aetatis verbo factone perhibe-
ant, nemini obscurum est, neque ea res explicatione vberiore
indiget. Nunquam arrogantius negatur veritas, quam quan-
do falsae historiae supponuntur, aut quando consulto fingun-
tur. Enimuero per veram historiam, cuius etiam partes mu-
tuo se inuicem sustentant, firmant, elucidant, iniquitati illi oc-
currendum est. Occurritur etiam reuera, non quod errantes
semper desinant desipere, quippe quod plures causas poscere
iam dixi, sed quod publice apud cordatos innotescit, in errore
versari illos obrectatores, quodque ab omnibus perspici potest,
vera esse, quae ex Sacris literis haecenus acceperint, dummodo
ipsi in res inquirere voluerint; volent autem tanto plures, quan-
to expeditius et tutius illud ipsum in bonorum librorum copia
fieri poterit.

Denique tertiam addo propositionem: *in ipsa dogmatis*
historia argumentum veritatis inesse potest, et saepe inest proprium
argumen-

argumentum, saepe eiusmodi, quo reliqua argumenta firmentur et illustrentur. Nam quando doctam doctrinarum historiam nolumus confundi cum argumentis in genere, eamque in horum locum surrogari posse negamus, non propterea inficiamur, in illa itidem veritatis argumentum inesse posse. Nam argumenta probantia varii sunt generis, bonaque omnia esse queunt, si in suo quodlibet genere recte se habeat. Sed non omnia omnibus aequae necessaria sunt, quae tamen vtilia sunt hominibus, qui uti illis possunt. Male ageretur cum Christianis, si ab auctoritate eruditorum vnice pendere deberent, quando quaeritur, sitne Scriptura S. verbum Dei, et quid illa de Deo, de via salutis, de officiis, et de spe hominum doceat. Sed est in hominibus sensus veri et iusti, quo fit, ut, qui ipsimet veritatem non reperissent, nec eam aliis proponere possunt, sentiant tamen, quando veritas proponitur, eius evidentiam, ideoque etiam obedientiam illi praestandam eligere, et pro scopo sibi praefigere possint. Atque hic ipse sensus veri est, quem saepe diximus cieri, innari, dirigi, per auxilia gratiae Spiritus Sancti, quibus fides vera et viua, vbicunque obtinetur, proprie accepta referenda est, idque propter hominis corrupti vitium, quod nec recte percipere nec suscipere spiritualia sine tali auxilio permitteret, 1 Cor. II, 14.

Quare communis ad fidem via est, ut mens praestantia et sanctitate doctrinae Scripturae primum afficiatur, hinc de scriptoribus, qui sanctae huius doctrinae praecones sunt, existimare nequeat, quasi res gestas, quas scire eos oportuit, non bona fide memoriae prodidissent; sed ex descriptis historiis, veluti miraculis, vita Iesu Christi etc. sequitur diuinae religionis Christianae origo; qua posita veraces sunt testes Prophetae et Iesu discipuli, quidquid testentur; ergo etiam de Θεωρευσις recte testantur; qua posita sacrae literae vbique non nisi verissima docent. Quotquot itaque Scripturae dicta cuiquam perspicua sunt, ut illa euidenter intelligat, sed probus innumerabilia intelliget, et proficiet de tempore in tempus, illis iste vitur; et de communiter scitu necessariis hoc pacto omnes certi



esse possunt, et proficiunt, quando vel libros legunt, vel sermones sacros publice habitos audiunt, vel cum exercitioribus Christianis colloquuntur. Nam quae vera sunt, quando audiens ad notiones deducitur, sensu veri interno percipiuntur, suaque se euidencia demonstrant vera esse. Facultas differendi et scribendi propriam theoriam et exercitationem requirit, uti omnibus notum est. Sed in iis, qui putantur exercitatissimi esse, frequenter nimio et festinato quam plurima legendi studio, sensus veritatis obtunditur magis, quam acuitur; ex quo errores multi nascuntur, et errandi pertinacia et morositas simul existit, maxime si per *du Dadeiav*, fastum, rerum humanarum cupiditatem, fulcitur, quibus malis fit, ut in religione quam paucissimis contenti sint, sed tanto plus copiae velint in minutis.

Quamquam igitur via communis sit ad veritatem in doctrinis Christianae religionis probandis, ut sapiamus ex ipsa Scriptura Sacra; quae, etsi varii generis partes continet, quarum non omnes omnibus, vel omni aetate, vel ad salutem, scitu necessariae sunt, ita tamen est comparata, ut dogmata fidei morumque ex illa sola euidenter et certissime percipi possint: hoc tamen non impedit, quo minus praeter argumenta illa communia, quibus omnes uti possint et debeant, etiam alia sint vera argumenta, quae paucorum fortasse hominum sunt, sed ad speciales necessitates tanto magis accommodata.

Vno exemplo utamur; quis enim in tanta rerum copia omnia percurrere audeat in breui scriptiuncula? Fieri potest, ut quaedam in sacris literis generalius et indeterminate dicta sint, quamquam ad systema fidei vel morum pertineant; cuius dictionis plures et bonae causae esse possunt, veluti si tempore isto, quo libri scripti sunt, hoc sufficebat, et reliqua usu et aduersione disci poterant, item si quid, etsi vniuersae praeceptum est, liberum esse debuit, quantum attinet ad circumstantias temporis, loci, et sic porro. In talibus *historia dogmatis, quomodo dogma ab ultimo tempore per singulas aetates, ab hominibus, in quibus auctoritas idonea fuit, nempe in quibus praesumitur intelligentia et probitas, intellectum sit*

fit et ad praxin traductum, non mera illustratio est, sed et proprium constituit argumentum, quo simul sumto cum conclusionibus legitimis e textu sacro petitis res omni dubitatione carer, certe apud aequos carere debet. Sic de Paedobaptismo, vt hoc vtar, proprium argumentum facit historia dogmatis *), veluti quod iam seculo tertio, orta dubitatione, an infantes intra diem a nariuitate septimum baptizari fas sit, decretum est, esse ab Apostolorum tempore ita traditum et receptum, vt infantes quoque baptizentur, et quolibet tempore. Quomodo enim in tali decisione, tali tempore et rerum Christianarum conditione, qualis tunc erat, falsum decerni vel verum ignorari potuisset? Sed, posita veritate, Paedobaptismus, vt iustus, sic vindicatus est. Plus autem, quam quod fas sit, baptizari infantes, ne vindicare quidem opus est. Nam efficacia sacramenti pender a promissionibus Dei, quae fallere nequeunt, dummodo subiectum applicationis habile sit. E contrario non opus erat, baptismum infantum expresse, vt necessarium, praecipere. Nam ea in re aliquid liberum esse debuit; quaeque existere potest necessitas, cur, vbi dominans sit Christianismus, infantes statim baptizentur, nec parentibus permittatur, quando eos velint baptizari, ea, inquam, necessitas hypothetica est, et e temporum et hominum conditione existit, sed non omnium aetatum aequae est. Veluti pro hodierno Ecclesiae statu inter nos ne ferri quidem posset, si parentes mallent abstinere a baptismo liberorum suorum, donec adulti essent, quod secus erat in primitiua Ecclesia.

Subiungamus tribus propositionibus, quibus rem, quam explicare suscepi, in satis clara luce positam esse arbitror, adhuc *cau-*

C 3

telas

*) Exposuit eam *Gnilielmus Wallus* in historia baptismi, quam ex Anglico in latinum conuertit et obseruationibus auxit *Io. Ludou. Schlosserus*, Paft. Hamburg. 1748. Citata epistola *Cypriani* et 66. Episcoporum ad Fidum, in qua quaestio de infante, octiduo minore, non baptizando, ita deciditur, vt vel prima, vel secunda, et reliquis a nariuitate diebus, infans recte baptizetur, allegatur Cap. VI. Ibidem ex *Origene* allegatur, secundum Ecclesiae obseruantiam paruulis dari baptismum, idque ab Apostolis traditum esse, vt paruuli baptismali fonte laurentur.

telas aliquot I. *Quando historia dogmatum christianorum bene tractari debet, ut vel proprium faciat argumentum, vel argumentis, quae alias in promptu sunt, pro confirmatione et illustratione sit, cavendum est, ne homines, quorum scriptis ad hoc utimur, pluris vel minoris aestimemus, quam vere fieri potest.* Nam negari nequit, pauca ex omni antiquitate ad nos peruenisse, si comparentur cum illis, quae perierunt. In quo etiam nefas foret accusare providentiam Dei, quae tam multa perire permiserit. Quid enim esset vita humana, si de singulis aetatibus tanta librorum multitudo ad nos venisset, quanta hodie conficitur vna aetate? Qui scripserunt apud veteres, non magis praesumi debent optimi et doctissimi fuisse, quam talis praesumptio vera esset nostro tempore; nec propterea maioris ponderis sunt, quam reliqui, qui vel non scripserunt, vel quorum scripta aetatem non tulerunt, quod iam soli inter nos supersunt, et notitia de iis partem eruditionis nostrae constituit, et ita quidem, ut in ea ipsa aestimanda plerumque studium partium, vanitas immodica, et multitudo causarum accidentalium, facillime immisceantur. Quare auctores illi non aestimandi sunt pretio, quo venduntur probatae editiones operum illorum, non raritate hominum, qui hodie forsitan talia scripta legere possint, siue propter raram linguae, qua scripsere, intelligentiam, siue propter scribendi genus, siue propter molem voluminum, quae ad legendum plus temporis poscunt, quam datum est negotiosis, dum interim reliqui, quibus plus temporis datum foret, illa studia raro curant, neque etiam magnopere habent, cur colendis istis in suo quisque vitae genere occupentur. Vnusquisque ergo scriptor *metiendus est suo captu, qui plerumque ex libro ipso facile animadvertitur, dein tempore suo, quid scire potuerit, nec ne, in quae pericula errandi facillime conici potuerit, praesertim vero subsidiis, quibus instructus fuit, quibusque si summum careat ingenium, parum bonae frugis dabit, nec praeceptor esse poterit sequiorum temporum, et si forsitan auctoritas eius, quam alibi sexcenties contemnunt et exhibi-*

exsibilant, tunc *cupide a quibusdam arripitur* et celebratur, quando pro domesticis ipsorum opinionibus tuendis videtur adhiberi posse.

II. *Quantum ad prophetias in sacris literis attinet, quorum euentus ad tempora spectat etiamnum futura, minimum valet auctoritas veterum doctorum.* Nam res illae praedictae gradatim et successiue cognosci debuerunt, nec opus fuit, remoto tempore istas cognitatas ita esse, quemadmodum fortasse speciali solatio contra persecutiones et pericula, vel speciali antidoto contra scandala et fraudes impostorum, esse debent eo tempore, quod ab euentu prope absit, vel quo praedictio vere eueniat. *Tanto magis igitur animum attendere decet, quando dignus consensus interpretum prisca et recentioris temporis de sensu locorum propheticorum reperitur, scilicet consensus talis, quae interpretetur secundum communes regulas, quibus sensus literalis cognoscitur, quaeque apud veteres praesumptionem habeat subsidiorum interpretandi externorum eiusmodi, quae propria illis temporibus, non cum nostra aetate communia sint. Ipse talis consensus argumentum externum facit, bonam esse hanc interpretationem; quo argumento vti possumus contra libidinem peruertendi prophetias, siue fanaticam illam, siue literariam.* Admirabilis, inquam, est talis consensus, vbi est, nec praesumi potest per accidens existere. Sed e contrario mirum non est, quando deficit, maxime in difficilioribus et indeterminate dictis. Quam plurimae enim causae subesse, et plerumque statim allegari possunt, quamobrem deficiat. Est vero euentus prophetiarum notatu dignissimus, quia singulariter eminet inter argumenta religionis Christianae. Catena enim euentuum praedictorum quolibet tempore auget fidem librorum biblicorum, nec permittit, vt vetustate fides libri decreseat, sed noua potius de tempore in tempus incrementa capiat. Visibile fere est hoc argumentum contra profanitatem, quae alibi lusus ingenii pro argumentis speciosius venditat, sed idem audere non potest, quando negari nequit, teste historia haecenus euenisse, quae euentura praedicebat verbum
diuinum

diuinum. E. g. quis inficiari audeat, fata gentis Israeliticae ita contigisse, quemadmodum Moses praedixit, sed propria huic genti esse? Item reuolutiones regnorum gentilium praedictae vere contigerunt, inter quas omnium maxime excellit magna illa rerum conuersio, quam vere euenisse constat, qua cultum Numinis verum, testantibus Prophetis, gentes, reprobato dea-
 storum cultu, ideoque religionem vere Israeliticam, suscipere debuerunt, postquam spes Israelis, Christus, venisset. Permanet hoc argumentum, et augebitur vsque ad finem mundi, quia prophetiae non modo vsque ad nostrum tempus, sed vltra hoc etiam, et ad ipsam aeternitatem protenduntur. Neque magis dici potest seculo decimo octauo, nunc praedictiones de Noui Testamenti tempore omnes impletas esse, quam id dici potuisset seculo secundo vel tertio. Sed tanto cautius in tractando argumento hoc versandum est, quia, vbi euidentis est, visibilem facit stultitiam obtrectantium, sed vbi pro illo figmenta cerebri humani venditata fuerint, arripiunt hoc profani, etsi temere, sibi que reperiisse videntur, propter quod totam religionem vel ludibrio possint habere, vel pro lubita fingere et refingere. *Cautio autem illa in eo posita esse debet, vt agnoscas, vnice standum esse argumentorum euidentia, nec detrectandum esse laborem comparandi res cum rebus, sed pie vbiuis agendum esse, non curiositatis causa, sed quoniam fas est, audire et percipere homines, quid Deus doceat. Quare etiam atque etiam providendum est, ne in tali causa auctoritatibus hominum niti velis, siue clarorum doctorum, siue legum.*

III. *Nunquam confundendum est pretium rebus et hominibus statuendum, scilicet distingui in omni rerum genere debet, quale pretium res ipsa habeat, de qua agitur, et qualis honor et estimatio debeatur hominibus, qui circa rem illam occupantur, eamque tractant. Non enim sequitur, vt, qui res maximi pretii, nempe vtilissimas vel maxime necessarias tractat, propterea in maximo honore esse debeat, et contra, qui in negotio versatur, quod ad vitae necessitatem nihil atineat, vel minus pertineat, propter-*

propterea contemptior sit, quam qui in laboribus occupatur, quibus vita humana carere non potest. Constat enim, honoris, maxime externi, gloriae et celebritatis, proprias variasque causas esse, quas explicare huius loci non est. Veluti pictores, musici, et infinite multi artifices opificesque, an rusticis postponuntur, quoniam hominum magis interest, agros coli, quam artes illas? Sed idem in theologia notandum est, ne inter scriptores, quorum auctoritate utaris, quod in conficienda dogmatum historia fieri necesse est, plus tribuas cuique, quam fieri par est. Summi et infiniti pretii est doctrina veri Evangelii, secundum partes suas substantiales spectati; sed honoratior ministris verbi diuini esse potest, qui aliquid tractat, in quo maior eruditionis et lectionis copia requiritur, et solet admirationi esse, vel qui argumentum illustrans religionis, aut eam confirmans, adfert, sed quod in homine raram vel permagnam eruditionem praerequirat. Sint igitur homines tales in honore, qui ipsis debetur, sed iudicium eorum valeat, quorsum possit valere propter rationes legitimas. Attamen auctoritas eorum, tamquam hominum, qui sapiant supra vulgus illud, quod receptum doctrinae typum sequatur, simpliciter ne efferatur; sed quibus rationibus quaelibet sententia nitatur, examinandum, et rationum pondere et euidencia vnice standum est.

IV. *Quoties in viris quibusdam caeteroquin doctis, suisque in re literaria meritis claris, obseruabile est studium rerum nouarum in causa religionis, vel propensio ad extenuandas controuersias cum sectis malis, multoque magis, si suspicio sit indifferentismi in religione, vel profanitatis et deismi: esto magis sollicita cura bonorum virorum, et in studiis istuc pertinentibus bene versatorum, ne praetextu historiae dogmatum christianorum exponendae ipsarum doctrinarum veritas peruertatur, aut in dubitationem adducatur. Quidquid enim sit de publicatis illis collectaneis eruditis, veritas doctrinae ex sacris literis solis constare potest, et constat. Quod si contraria Scripturae S. statuerunt homines, vel synodi variae aetatis, nihil amittit ve-*

D

ritas

ritas et evidentia dogmatis in libris sacris fundati; sed constat modo, errasse illos homines, quemadmodum nunc et omni aetate multi errant, neque magis illi existimandi sunt constituisse Ecclesiam sui temporis, quam nunc eam efficiunt, qui certis de causis fortasse in ore plurimum sunt. Similiter si doctores Ecclesiae consentiunt cum doctrina Sacrae Scripturae: non veritatem dant dogmatibus, nec inest in eorum consensu argumentum, quo non eadem carere queat, sed hominibus laudi est, quod recte statuerint. Quare etiam illis, qui publicam Ecclesiae curam gerunt, cavendum est, ne decipiantur. Scilicet diligenter providendum est, ne scribendi cacœthes, quod tam multos occupavit, et sustentatur lucro commercii bibliopolarum, nec non celebrium virorum, vel adspirantium ad celebritatem, auctoritate, quippe qui ipsi vel claritatis vel lucri accessionem e talibus rebus capiunt, animos ipsorum a recto veritatis tramite transversos agat. Opera ergo ipsis danda est, ut libros et auctores aestiment argumentorum pondere, non externis commendationibus, vel inscriptione, neque etiam suspectis testimoniis, quantumvis publicis, fidem temere adhibeant.

Sed iam subsistam in tractatione, quam infinite extendi posse, prudentes intelligunt, praesertim si exempla cuiusque generis allegari, et diiudicari debeant, quae affatim in promptu forent. Transeundum enim est ad argumentum principale, cui praefationis loco est, quidquid hucusque dixi, veruntamen idem istud eò electum consilio, ut cum argumento disputationis Ven. **РЕНКОФИ**, cuius promotio ad honores academicos indicenda est, aliquid coniunctionis haberet. Fuerunt enim haecenus et sunt, qui praese ferentes, historiam dogmatis de Trinitate, summi profecto et proprii Christianae fidei dogmatis, tradere velle, vixi sunt potius id agere, ut, quoniam ambigebant ipsi inter rei literariae distractiones, caeterum tolerantiam dissensionum commendabant, siue ex animo, siue quod, more similibus, novis moliminibus viam praestruere cupiebant, a docta dogmatum historia fidem in
Tri-

Trinitatem suspenderent, et decernendi de tali quaestione arbitrium eriperent Christianis omnibus, exceptis illis, qui vel per vastum literature campum discurrere possent et vellent, vel caeca fide crederent talibus auctoribus ipsis, et laudis eorum buccinatoribus. De hoc ergo, quem ad splendidissima vocatum munera, pro impetrandis honoribus academicis, quibus munera ista carere decore nequeunt, nunc in publicum produco, Ven. REHKOPFIO, restant commemoranda quaedam, e quibus intelligatur, ab Ordine nostro Virum dignissimum nostris honoribus ornari.

Videlicet Ven. IO. FRID. REHKOPF, natus est Lipsiae anno huius seculi XXXIII, d. 25. Ianuar. Patrem habuit HENRICVM MICHAELM REHKOPF, ciuem huius vrbs optimum, pium, integerrimum, probatissimum, qui eum suscepit ex vxore *Anna Elisabetha*, nata *Streuia*. In quo, quum nunc diuina prouidentia nostrum in Saxoniam inferiorem ablegat, notatu dignum est, et ad animum non modo REHKOPFII mei, sed et meum, intime permanauit, quod vtrique eius parentes e Saxonia inferiori dicta oriundi fuerunt, pater Stokhemia, prope Einbeckium, mater Cella. Pater, vt erat vir integerrimae probitatis, ipseque tempus a laboribus vacuum non oriando transigere solebat, sed pabulum animi in legendis libris sacris, aliisque scriptis bonis humanis, ad instructionem et veram pietatem comparatis, reperire solebat, vt sunt quae I. I. Rambachius, A. H. Frankius, P. I. Spenerus, maximeque, et quae primo loco nominari debebant, ipse Lutherus scripsit, de bene educando hoc suo filio, quemadmodum de liberis reliquis, magnopere sollicitus erat. In quo quum inesse optimi ingenii, et ad studia nati, significationem per idoneos ingeniorum arbitros comperisset, non solum religionis rudimentis, et pietatis sensu vsuque puerum imbuere satagit, verum etiam domesticis praeceptoribus eum tradidit, qui ad literas eius ingenium formarent, nec sumtibus pepercit, aut bonis vti consiliis neglexit, vt bonis praeceptoribus potiretur. Sic profecit institutione SCHORISCHII, ENKII, BEVTNERI, et potissimum

KREBSII, qui nunc Ill. scholae prouincialis Grimmenfis Rector celeberrimus est, quem patri ipsius S. Ven. ERNESTIVS noster commendauerat.

Post prima pueritiae tirocinia noster, in inelytam scholam prouincialem Portensem receptus, vsus est institutione Clarissimorum Virorum FREYTAGII, S. Ven. AMENDII, qui nunc Dresdae Superioris Consistorii Assessor et Superintendens est, vir eruditione sua celebris, et pietate integritateque omnibus bonis vere venerabilis et percarus, item HOFMANNI, PEVCERI, HENTSCHELI, GEISLERI, HAYMANNI, qui nunc Superintendens Misenenfis est, de Ecclesia et sua dioecesi meritissimus, EGENOLFI, SCHLEGELII et HVBSCII, quorum omnium in se merita grata mente depraedicat. Redux in vrbe patriam, exacto fere sexennio, et ciuibus Vniuersitatis literarum Lipsiensis Rectore WINKLERO adscriptus anno seculi LI. doctoribus vsus est in studiis mathematicis HEINSIO et RVDOLPHO, in historia IOECHERO et WERNSDORFIO, iam in Acad. Wittebergenfi S. Theol. Professor. Ord. nec non ERNESTIO nostro, quando vel antiquitatis Romanas docebat, vel graecos latinosque scriptores, vt et partes aliquot N. T. interpretabatur, item GELLERTO, poëtices rhetoricesque praecepta tradente. In scientiis philosophicis strictè dictis per omnes Philosophiae partes me sedulo et assidue audiuit, et ex quo tempore mihi propius innotuit, eximiam apud me spem de suo ingenio et animo excitauit, quae me nunquam sefellit, quamque iam vltra expectationem specialissima Dei prouidentia impleri, animum meum grauiter adfcit, et ad gratias Deo agendas eiusque exorandam porro benedictionem sollicitat et impellit. Quum ad Theologiam animum adiungeret, audiuit HEBENSTREITIVM et WOLLIVM, sed inprimis diu et diligentissime meis in omnes Theologiae partes lectionibus, nec non practicis exercitationibus, interfuit. Ebraeae linguae praeceptores habuit BOSSECKIVM et HEBENSTREITIVM, qui eum quoque linguam Chaldaicam, Syriacam, literasque Rabbinicas edocuit. Linguae Arabicae praecepta

pta et vsum REISKIO debet, cuius instructione magna industria vsum est. Inter ista studia anno seculi LV. ab Ampliff. Philosophorum Ordine Baccalaureus Philos. et anno sequenti Artium Magister creatus est. Mox a S. R. Theologorum Ordine inter concionatores vespertinos in aede academica Paulina receptus est, et eminuit inter sodales.

Quanquam autem REHKOFFIUS noster, vt est vir placidus et modestus, voluntati summi Numinis soli commisit, in quo praestandi officii genere Deus ipse opera vti velit, animus tamen eius potissimum ad studia academica ferebatur, ad quae sedulo et constanter et cum laude se contulit. Quamobrem anno seculi LVIII. *vitarum Patriarcharum Alexandrinorum Seculi I. et II. specimen primum arabice cum versione latina et notis edidit, itemque anno LIX. secundum, et mox tertium, quod continebat animaduersiones historico-criticas ad vitas horum Patriarcharum*, pro accipiendo iure Magistri legentis publice defendit, respondente IO. IAC. EBERTO, nunc Mathematicum in Acad. Witteb. P. P. O. Quo facto habendis praelectionibus de studiosa iuuentute bene meruit, nec magis ab illa, quam ab his, qui eius praeceptores antea fuerant, probatus fuit. Scripsit etiam circa hoc tempus *de philosophiae cum linguarum studio coniungendae necessitate*. Sed extincto patre, bellique diuturni ingrauescente molestia, quae ipsum maxime premebat, qui in aedibus habitabat paternis, quas communiter possidebat cum proxime consanguineis, modeste et humiliter nutui diuino obtemperans destitit a consilio labores academicos prosequendi, et euocatus ad munus Diaconi apud Zwickauenses voluntati Dei libenter paruit. Quod quomodo factum sit, bene sum memor, sed non minus me adficit, quod me consulenti dicere memini, eundum esse, quo Deus velit, caeterum si Deo placeat adhibere ipsum ad munera academica, euenturum esse id, post probe facta quae istuc pertinent, sine vlla eius opera et praeter illius expectationem. Sic abiit a nobis pie ad Zwickauenses anno huius seculi LXI. paratus ibi reliquum vitae spatium decurre-

re, attamen propter ingenii indolem tempus vacans a negotiis dicavit studiis, quod bene quoque successit adiuto per bibliothecam, quae ibi est, praestantissimam, ex qua etiam collegit, quae anno huius seculi LXIII. in commentatione congeffit *de Zwickauiensibus literarum orientalium studio claris et de eo meritis*, quam gratulandi causa dicabat Socero, Ven. IO. GODOFR. WELLERO, Superintendententi Zwiccaiensi. Eodem anno suscepit conficere *commentarios in textus sacros, qui quolibet anno in diebus poenitentibus praescribuntur*, in usum ecclesiarum, qui isto subsidio uti velint, maxime si ipsi apparatu librorum destituantur, suntque Rehkopsianae hae commentationes, quas *per septem annos* ita continuavit, cum plausu fructuque lectae et bene diuenditae. Anno seculi LXIV. Patroni Ecclesiae Reichenbachiensis in Varisicis, cognitis REHKOPFII dotibus, sponte illi munus Archidiaconi obtulerunt, quod in se suscepit. Illic praeter consueta studia, quibus vacuum a statis laboribus tempus destinabat, inopinato et magno quidem cum animi ipsius luctu, sed et cum multiplici honore suo, nactus est occasionem bene merendi de studiosa iuuentute, quantum ad studium Ebraeae linguae pertinet. Susceperat M. IO. CHR. KRVEGERVS, Diaconus Crimmitschauensis, rogatus a bibliopola et amicis, curare nouam, emendatam, et ad hodiernum statum multo illustrioris Ebraeae literaturae comparatam editionem *Ianae Ebraeae linguae Reineccianae*, cuiusmodi liber, si bene factus est, admodum prodest iuuenibus, et opportunitate sua fastidium detergit, quod alioqui multos retardat, et commode iacit fundamentum, cui deinceps de tempore in tempus bene superstruatur. Sed labores bene coeptos KRVEGERI, viri optimi et desideratissimi, a quo orientalis literatura multum commodi expectare poterat, mors intercepit, quin partem, ni fallor, tertiam ferme absoluisset. Haec occasio erat amicissimo REHKOPFIO, qui KRVEGERVM ita dilexerat, et studiorum sodalem perpetuum habuerat, ut vix meminerim me amicos tam coniunctos videre, demonstrandi vim amicitiae suae erga defunctum

Etum amicum dignissimum. Nam opus is summa sedulitate continuauit et absoluit, laudemque communem meruit, quod in opera circa manuale vberima suae eruditionis in orientali literatura documenta ediderit, et clarissima et publice vtilissima. Post absolurum superiori anno laborem hunc, iam euocatus est ad illustriora munera, et vtriusque quidem generis, in quibus cum academicis laboribus, quos ab initio studiorum deamauit, optauitque, vt ad hos praecipue se conferre posset, coniunctae sunt functiones ministerii ecclesiastici, in quibus nunc per nouennium laudem eximiam meruit, et ad quas ab initio vocatus est propter habilitatem insignem, quae in eo esse ex sermonibus publice e suggestu habitis intelligebatur. Vocatio talis cum tota animi illius conformatione, et, vt ita dicam, cum eius gustu consentit. Nam quamdiu in ministerio Ecclesiastico vnice versatus est, etsi admodum occupatus et negotiosus, nihilo secius tempore a statis laboribus vacante priscum secutus est ingenium, studiisque, lectioni et meditationi, illud tribuit, et in hoc occupationis genere animi relaxationem reperit.

Quare cum REHKOPFFIO ipso miramur providentiam diuinam, cuius insperata gubernatione accidit, vt iussu SERENISSIMI DVCS BRVNSVICENSIS ex illo quaereretur, an obire munus Professoris Theologiae Ordinarii, simulque Superintendentis generalis in Academia Helmstadiensi, velit, si vocetur. Obstupuit modestissimus vir tali casu, et petito deliberandi spatio, quum Patronorum amicorumque consilia sciscitatus est, tum praecipue animo ad Deum, Patrem nostrum in Domino, Iesu Christo, piis precationibus, et super via diuina reflexionibus, conuerso, ad firmitatem consilii capiendi pertingere adnitus est. Contigit autem, vt Patronorum et amicorum consilia congruerent cum eius ipsius animi sensu, qui ex crebro repetitis seueris cogitationibus et piis precationibus ortus erat, atque hoc pacto ad relinquendam patriam et adeunda noua officia apud fratres externos promptus est, et animo hilari et constanti procedit.

Exigebat

Exigebat autem, postquam a SERENISSIMO DVCE BRVN-
VICENSI vocationem ad dicta munera acceperat, consuetudo
et decentia, quin immo necessitas aliqua, vt ad illa adeunda
non accederet, nisi ornatus honoribus academicis, quibus ipse,
si quisquam alius, perquam dignus est, et vt talis antea per-
spectus, sed et nunc denuo editis in examine vtroque document-
tis et reliquis speciminibus cognitus est. Hos vero potissimum
ab Academia patria, vbi praeceptores habebat, quos diligebat
ipse, et a quibus singulariter et constanter communiterque dile-
ctus est, sibi expetendos esse ratus, et ad impetrandos illos dignis-
sime admissus est. Veruntamen quia iussu SERENISSIMI BRVN-
VICENSIVM PRINCIPIS, postquam diu munera ista vacauerunt,
festinare iussus est, indulgentia SERENISSIMI NOSTRI PATRIAE
PATRIS, ELECTORIS SAXONIAE, per speciale mandatum impetra-
uit, vt vno eodemque actu praeter consueta illa antiquitus in tem-
plo Academico solennia post statuta eruditionis suae documenta
rite edita, in auditorio Collegii Maioris SS. Theologiae Licen-
tius et Doctor renuntietur.

En igitur pergrata nobis, et nostrae Academiae et huic vbi
honorifica solennia, quae indicere mearum partium est. *Dispu-
tabitur publice* super proposita et a nobis lecta probataque disputa-
tione prima Ven. REHKOPFII *de Trinitate die VI. Iunii ab hora II.
pomeridiana, quo facto die VII. Iun. ab hora IX. antemeridiana* pri-
mum in disputando pergetur, fietque tunc rite promotio dignis-
simi Candidati. Quibus itaque solennibus vt beneuole interesse
velint, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS
COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS,
CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE, atque
omnes vniuersae, ORDINIS NOSTRI FAVTORES ET AMICOS, Ordini
mei nomine officiosissime et peramanter inuito. Deum autem
T. O. M. oro, vt coram ipso ratum sit et benedictum, quod honori
eius et vtilitati Ecclesiae Iesu Christi pie institutum, vtque vber-
rimi inde fructus proueniant. P. P. In Acad. Lipsiensi Feste
Pentecostes A. N. C. cIo IocC LXX.






Fe 3031
S

wo 1018 N. C.





10

D. CHRIST. AVG. CRVSI
 COMMENTATIO
DE
 DOGMATVM CHRISTIANORVM
 HISTORIA CVM PROBATIONE
 DOGMATVM NON CONFVNDENDA.

IN PAN
 IOH. FRI
 S.S. THEOL. P. P. O.
 HE
 IN AC
 D. VI. ET V

